



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Secunda sententia quinque modis explicata. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Ratione im-
pugnatur
sententia
Durandi.

6
Aristot.

Deinde interpretatio illa, quam adhibet Durandus testimonijs Dionysij, commenticia est, nec fundamentum aliquod firmum veræ doctrinæ habet, ac proinde posterior pars sententiæ illius rationi adversatur: nam ut ab uno angelo in alium illuminatio ordine consequentiæ derivaretur, necesse erat, inter illuminationem unius angeli, & alterius, esse ordinem causæ, nam si nullus est ordo causæ, non poterit esse ordo prioris & posterioris, ac proinde nec ullus per alium illuminari dicitur. Fortasse dicit aliquis, posse esse ordinem prioris & posterioris secundum dignitatem, qui inter modos prioris connumeratur ab Aristot. in prædicamentis, cap. de modis prioris. Ceterum quamvis ratione dignitatis, & nobilitatis recte dici possit, vnum illuminari prius quam alium: tamen ob hanc solum rationem dici non potest, vnum per alium illuminari, vel ab uno in alium illuminationem derivari: ac proinde dici non possit, vnum remotè, alium vero proximè à Deo illuminari: inter reliquos verò, qui contra Durandum affirmant, vnum angelum ab alio vere illuminari, & edoceri, non satis convenit, quo pacto hæc illuminatio fiat. Sunt autem omnes in duas opiniones divisi: quarum prior varijs etiam modis explicari solet & defendi, de quibus sigillatim deinde differendum est, ut tandem verior sententiam optima ratione confirmemus.

CAPVT II.

Secunda sententia quinque modis
explicata.

7
Scotus.
Bassol.
Gabriel.
Hervaeus.
S. Thomas.
Chapreolus.

Secunda opinio in vniuersum affirmat, vnum angelum ab alio illuminari mutatione aliqua ipsi impressa ab eo, à quo illuminatur. In hac sententia fuerunt Scotus in 2. disp. 9. quæst. 2. §. ad aliam questionem, Bassolis qu. 1. art. 2. §. Ideo dicit vnus Doctor, Gab. q. 2. art. 4. conclus. 4. Ocam in 2. q. 20. art. 2. Hervaeus disp. illa 9. q. 1. art. 2. imò in ea etiam videtur esse Sanctus Thomas infra q. 106. art. 1. & Capr. in 2. disp. 11. q. 2. artic. 1. conclus. 2. quam explicat art. 3. in solut. 1. argumenti Durandi contra primam partem eiusdem conclusionis: variant tamen in explicatione huius opinionis.

Primus mo-
dus expli-
candi.

Primus modus explicandi & defendendi hanc sententiam est Scot. & Bass. qui iuxta opinionem, quam de locutione angelorum secuti sunt, docet, primum, non omnem locutionem esse illuminationem, sed eam tantum, quæ perficit, & docet intellectum audientis. Addunt tamen, intellectum audientis non perfici quacunque cogitatione veri, sed veri, quod reuelatione Dei tantum cognoscitur. Deinde asserunt, hanc illuminationem eodem modo contingere, quo fieri solet locutio, ut disp. 210, cap. 2. ex sententia Scoti expositum est, nempe producta notitia in mente audientis angeli, qui illuminatur, quam ipse nullo modo producit. Hæc opinio hoc modo explicata, quo ad maiorem partem ipsius probabilis videtur, ut infra explicabitur: quoad posteriorem autem existimo falsam eadem ratione, qua probavi cap. 3. illius disp. locutionem angelorum non posse eo modo fieri.

8
Secundus

Secundus modus explicandi prædictam sententiam est Gab. & Ocam. qui etiam duo docent: vnum est, inferiores angelos solum à superioribus illuminari de ijs rebus, quas per reuelationem

acceperunt: in quo enim Scot. & Bassolis conueniunt. Alterum est, illuminationem fieri eodem modo, quo fit locutio, per hoc videlicet, quod conceptus reuelatæ existens in mente angeli superioris, qui dicitur illuminare, producit notitiam sui in mente angeli inferioris, qui illuminatur. Hanc sententiam quoad priorem partem probabilem puto, sicut & præcedentem: quoad posteriorem vero eodem modo impugnanda est, licet etiam opinio eorundem authorum quamtulimus, & impugnauimus in ea disp. 210. cap. 7. de locutione Angelorum.

Tertius modus est aliorum, qui censent illuminationem fieri per infusionem alicuius luminis supernaturalis: vel alicuius speciei intellectus angeli, qui illuminatur: vel denique per hoc, quod angelus alium illuminans modum aliquid quo modo speciem existentem in mente illius. Hæc sententia eadem ratione mihi non probatur, qua etiam illa de locutione angelorum, quæ ut vidimus disp. 210, cap. 4. asserit, vnum angelum alteri loqui per hoc, quod imprimit speciem conceptus menti alterius, & multo maiori ratione non placet hæc opinio, quatenus aliter, vnum angelum ab alio illuminari recepto in se aliquid lumine supernaturali: nam si angelus non potest immutare intellectum alterius imprimendo speciem, multo minus imprimendo aliquam qualitatem, quæ habeat rationem luminis, præferat supernaturalis.

Quartus modus est asserentium, Angelum illuminari ab alio per derivationem cuiusdam dei spiritualis ab alio, per quem angelus inferior excitatur, & format in se similitudinem, per quam intelligit obiectum de quo à superiori induitur, & illuminatur. Qui modus, ut opinor, videtur esse Ricardi, quia hoc eodem modo docet, angelos secum loqui, ut retulimus disp. 210. cap. 1. quamvis differens de illuminatione in 2. disp. q. 1. solum dicit, illuminare aliquem angelum, nihil aliud esse, quam manifestare illi veritatem aliquam spectantem ad veritatem intellectus, & acutem aciem illius, supponere tamen videtur, hoc totum fieri per missionem radij spiritualis: quæ ad angelum, qui illuminandus est. Ceterum in 2. d. 10. a. 2. qu. 2. loquens de illuminatione, quæ angelus illuminat hominem asserit, non illuminari ab angelo, recipiendo ab eo speciem aliquam: nescio, an putet esse eandem rationem de illuminatione hominis, & angeli. Hanc tamen sententiam de locutione in eo cap. 4. satis confirmamus, & hic modus philosophandi de illuminatione, eodem pacto resellendus est.

His omnibus modis annumerari potest quintus, quem sequitur S. Thom. infra q. 106. art. 1. ubi asserit, illuminationem in duobus positam esse, & in eo, quod intellectus angeli inferioris à superiori corroboratur: & in eo, quod superior angelus veritatem, quam vnico simplici, & communis conceptu distinctè cognoscit, in singulares rationes tribuit, ut inferior capere possit. Priorem partem explicat exemplo duorum corporum calidiorum: nam sicut calor vnus ex propinquitatē alterius fit maior, sic etiam virtus intellectus angeli inferioris ex conuersione angeli superioris ipsam corroboratur, quod enim in rebus corporis est ordo propinquitatis, hoc in spiritualibus est ordo conuersionis vnus angeli ad alium. Posterior

rem vero partem declarat exemplo magistri, qui pluribus verbis, & conceptibus discipulis exponit, id, quod ipse unico, aut paucioribus intelligit: quam doctrinam colligit ex Dionysio, & nos inferius latius explicabimus.

Hanc opinionem, quam nulla alia ratione Sanctus Doctor confirmat, quod attinet ad priorem eius partem, non pauci acriter impugnant, Durand. præsertim in 2. dist. q. 3. & Aegidius loco inferius allegando: quorum præcipue rationes hæc sunt. Primo, quia vnus angelus non potest producere intellectum alterius, nec ipsum intensiorem efficere, quia cum intellectus sit propria passio angelus, nec poterit ab alio produci, quam ab eo, à quo essentia ipsius creatur, nec ab illo alio effici magis intensus, cum nulla passio recipiat magis & minus. Secundo agens, quod aliquam formam emittit magis intensam, potest illam primo producere, sed vnus angelus non potest producere intellectum alterius, ergo nec ipsum magis intensum efficere. Tercio intellectus inferioris & superioris angeli sunt diuersæ speciei in opinione S. Thomæ qui censet singulos angelos specie differre: virtutes autem, & qualitates specie diuersæ non possunt se inuicem intendere, ergo nec lumen intellectus vnus angeli, & alterius. Posset tamen aliquis respondere, intellectum vnus angeli non corroborari ab alio per intentionem virtutis, & luminis naturalis, quod enim esset ridiculum, sed per lumen aliquod infusum & additum intellectui, sicut lumine gloriæ in patria, & lumen fidei in via corroborata ad videndum Deum, aut credendum illi. Verum quamuis hoc modo naturale lumen intellectus perfici, & corroborari possit, quia tamen Angelus nequit lumen aliquod, vel qualitatem infundere, nostro intellectui, vt dicitur 2. 10. cap. 5. monstrauimus; & infra etiam ostendimus: ideo nullo modo poterit intellectum alterius angeli corroborare addens illi aliquid luminis naturalis, vel infusi: alioquin hoc modo posset operari in nostro intellectu, & illum illustrare, quod nemo concedit.

Deinde contra eandem sententiam S. Tho. arguit Aegidius hoc modo: si vnus angelus ageret in alium, illaberetur illi, aut diceretur in illo esse: cum angeli finit in alio per operationem: sed angelum posse alteri illabi, nullus concedit, ergo non posse in illum aliquid operari concedendum est. Hoc Argumentum vim habet in opinione eorum, qui asserunt angelos in corpore, vel alibi esse per operationem. Præterea lumen vnus angeli ab alio corroborari non potest per concursum ad eundem effectum, & operationem: quoniam idem actus intelligendi non potest esse à duobus intellectibus: est enim intellectio actio immanens, id est, quæ manet in agente, eandem autem non potest esse in duobus. Ex quibus omnibus rationibus illa præsertim vim habet, quæ probat, non posse intellectum vnus angeli ab alio corroborari per impressionem alicuius qualitatis, vel gradus, quia vnus angelus non potest operari in intellectum alterius; alioqui enim in nostrum etiam operaretur.

CAPVT III.

Caeterum benigne interpretatur sententiam Sancti Thomæ.

Caetera videns difficultatem rationum Durandi, & Aegidij contra modum philosophandi Vasquez in 1. p. tom. 2.

S. Tho. si in eo sensu intelligatur loquutus, in quo ipsum prædicti Doctores impugnant, alio modo ipsum defendere & explicare conatur. Docet igitur vnum angelum non illuminari, nec corroborari ab alio per intentionem luminis naturalis, vel per infusionem alicuius luminis additi facultatis intellectus.

Vt autem exponat modum, quo angelus illuminatione corroboratur ab alio, notat, virtutem naturalem intellectus vnus Angeli dupliciter, esse ab alio Angelo corroborari, primum per actionem vnus in alium, producendo aliquid in ipso. Deinde per concursum vtriusque ad idem opus, id est, ad eandem cognitionem, non per modum naturæ, hoc est, non physica actione, nec physico concursu, sed per modum artis cooperantis naturæ, quæ ratione Doctor arte sua iuuat discipulum, & corroborat intellectum illius. Ceterum, vt explicet modum huius doctrinæ & disciplinæ, notat deinde Caiet. alia duo, quorum vnum non video multum ad rem pertinere, alterum vero est, actione docendi, quatenus talis est, non prius discipulum illuminari, quam proponatur veritas, sed primum proponi veritatem cognitam & illustratam, deinde illuminari intellectum, vt videat veritatem illam, & consequenter lumen ipsius corroborari, proponi autem veritatem, inquit nihil aliud esse, quam proponi vt iam cognitam ab ipso angelo proponente, sed quia interdum obiectum cognitum ab Angelo superiori, non est accommodatum intellectui inferioris, idcirco diuiditur aliquando conceptus superioris in plures conceptus, vt inferior rem melius percipiat. Ex quibus omnibus colligit Caiet. nullo alio modo inferiorem Angelum illuminari à superiori, nec alio modo inferioris intellectum à superiori corroborari, quam intellectus discipuli à magistro illuminatur, & roboratur, non physica actione, sed per modum artis & disciplinæ.

Hæc sententia Caiet. tametsi vera sit, vt infra probabo: tamen ad mentem S. Tho. parum videtur accommodata. Primo, quia in 1. q. 106. ar. 1. & q. 1. 1. art. 1. aperte dixit in illuminatione Angelorum duo esse, nempe corroborari lumen intellectus, & proponi veritatem seu obiectum. Quod si corroborari lumen intellectus, ortum haberet ex veritatis propositione, sicut explicat Caiet. hæc duo non ita distingueret S. Th. Secundo q. 117. ar. 1. ostendens, quomodo possit vnus homo ab alio edoceri, inquit, dupliciter hoc fieri: primum proponendo ei aliqua, quibus paulatim ducatur ad cognitionem ignoto veritatis: deinde corroborando intellectum illius. Explicat a. hoc amplius his verbis, Non quidem aliqua virtute actiua, quasi superioris naturæ, sicut supra dictum est de angelis illuminantibus: quia omnes humani intellectus sunt vnus gradus in ordine naturæ, sed inquantum proponit discipulo ordine principiorum, ad conclusiones, qui forte per seipsum non haberet tantam virtutem collatiuam, vt ex prima ipse possit conclusionem deducere. Hæc S. Thom. Ex quibus constat, ex sententia ipsius aliter inter homines illuminari discipulos à magistris, aliter vero inferiores Angelos à superioribus: nam inter homines discipulus docetur à magistro sola veritatis propositione absque aliqua virtute, quæ agat in ipsum, inter Angelos vero inferiores illuminantur à superioribus virtute aliqua agente in ipsos. Sentit igitur, intellectum angeli inferioris corro-

13

14

*Explicatio.
Caiet. non est
ad mentem
S. Thomæ.*

Bbb 3

borat